



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk


Antverpiae, 1668

Modus Qvintus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

nes inferret, quod deinde ipse Servator asseruit Joan. 15, 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Secundus Moralis sensus. Neque id solùm nos Dominus docere voluit, verum ingens & excellentissimum persuadendi artificium, Concionatoribus, & Magistris, exemplo tradidit: quod est, doctrinam probare factis, & præcepta firmare vitâ, scilicet, *verba habent suadelam*, inquit Clem. Alexandr. *exempla violentiam, nec tam videntur suadere, quàm cogere*, 2. Stromat. II. & Joan. 5. clamat Servator: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*, & Joan. 10. *Operibus credite*, & ejusdem 14. *propter opera ipsa credite.* Magnam igitur injuriam facit magistro, qui se discipulum fatetur ejus, *cujus non sequitur institutum*, ait Chrysoft. serm. 94. *qui verbis prædicat, & opera non curat, qui una manu ædificat, & altera subruit.* Quid adeò simile? loquitur ironicè Tertull. in Apollog. c. 46. *Philosophus, & Christianus? Græciæ discipulus, & cœli? famæ negotiator, & vita? verborum & factorum operator? rerum operator, & destructor veritatis? interpolator & integrator, furator ejus & custos?* Multi tamen his similes evadunt, qui non satis meminerunt, *vivam eruditionem ad mortuam adjungere oportere.* Isid. lib. I. epist. 396.



MODVS QVINTVS.

Sententiæ assumptæ diversæ lectiones adferuntur. V. g. Vulgata, Septuaginta, Hæbrea, & se-

cundùm singularum sensum, res assumpta probatur. Sic illud Sapient. cap. 4. *Consummatus in brevi, complevit tempora multa.* Commodissimè attribui potest B. Aloysio Gonzaga Societatis JESU. Nam alii vertunt: *Consecratus in brevi*; & hoc convenit vitæ ejus in pueritia innocentissimæ. Alii, *Immolatus in brevi*, & hoc seruit vitæ religiosæ, per quam se Deo immolavit. Alii, *Consummatus in brevi*, & hoc refertur ad perfectionem ejus in religiosa disciplina. Alii, *Gloria & honore coronatus in brevi*: & hoc complectitur sanctitatis ejus publica variaque testimonia. Mihi sit pro more ex Evangelio.

P R A X I S

In festo Annunciationis B. V. MARIÆ.

Ave gratia plena, Luc. 2.

Accessus & Propositio. Salutare exemplo Divi Archangeli B. V. Mariam, an ei gratulari hodie debeam, merito hærerem? nisi dubium affectum sacra pagina componeret. Hæc scilicet, cum ejusdem spiritus instinctu, *Ave & Gaude*, Virgini Deiparæ, juxta vulgatam & Græcam versionem deerat; Avere hodiè per nos, & Gaudere beatissimam Virginem velle videtur: id est, ut humiliter eam exemplo cœlitum salutemus, & sincerè innarrabilem novi gaudii congratulemur materiam. Agamus pro posse utrumque.

Confirmatio ex sensu Vulgatæ, *Ave*,
& ex Græco, *Gaude*.

Nar-

Narrat Burgesius ex D. Anselmo, beatissimum hunc, & capacissimum hymnum, *Ave gratia plena*, continuò à cœlestibus Hierarchiis, secundùm illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Seraphicum decantari. Innumeris insuper miraculis constat, gratissimè à D. Virgine læpiùs acceptatum. Utinam his, aut illis vocibus, nostra salutatione adjungamur: interea dum dignas non possumus, quas valemus, delaturi laudes, humiliter ante pedes tuos adstrati. Angelicum tibi ô Virgo inchoamus.

Ave.

Ave 1. quia per tuum *Ave* nos liberas à *væ*, quo tot sæculis mundus premebatur. Ferales literæ, diversis diversæ fuerunt: istæ, omnes malè, multaverant, cùm mater Eva, prius natos perimeret, quàm pareret. Mutatur jam Evæ nomen per Ave, & *væ* inveteratum aufertur, totique mundo libertas desiderata restituitur. Floro Autore, cùm Romani apud Gallos urbem & obsessum Capitolium redimerent: nec pondus auri libram æquaret, ingeminatum est à victoribus, *væ* victis nulla vox hæctenus in orbe frequentior, atque gravior, cum davis hosti per peccatum manibus pretium redemptionis, apud nos non inveniremus, quàm *væ* *victis*? Cedit tamen hodie *Væ* Angelico Ave, cedit Mariæ salutatæ. Igitur ô Virgo Ave!

Ave primò, AVE & iterùm, *quia gratia plena, Dominus tecum*. Quantum enim cum Bernardo conjectare licet: ideò gratia plena diceris, & mox Spiritus Sanctus superventurus nuntiatur, ut abundes, & superabundes, ac de plenitudine tua,
secun-

secundùm Filium tuum participemus omnes, 3. Regum 18. Cùm clausum triennio cœlum, referandum esset, misit Helias puerum suum versus mare: quo, cum secundo reversus fuisset: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.* Tum verò Elias: *Junge currum tuum, dixit ad Achab, & descende, ne occupet te pluvia.* Pluit denique atque illa nubes arentem terram felicissimè recreavit. Nonne clauso propter peccata cœlo, totus orbis, non tam triennio, sed multis sæculis aruerat? Nonne, diu non exauditus, clamabat? *Rorate cœli desuper, Esa. 45.* Ecce hodie nubecula parva, quasi vestigium hominis apparuit. Imber igitur, qui recreet universam terram sperandus. Sed quæ hæc nubes? quod quasi vestigium hominis? Nubem illam intellige, de qua Lucæ 2. *Spiritus Sanctus obumbrabit tibi, & vestigium quasi hominis agnosce: cùm audis: Ecce concipies, & paries filium.* Vestigium dico, quod nunc primum, figit in utero Virginis, DEUS HOMO, & inde quasi homo: non quod nasciturus de Maria Christus, homo verus non sit: sed quod verus Deus & homo, inexplicabili modo in Virgine concipiatur. Feliciter interea res nostra agitur. Rorant exauditi cœli, & nubes pluunt justum, per quem omnes irrigamur, recreamurq; *Ave Maria, gratia plena tantorum bonorum felix causa.*

Ave & Gaude. Ecquis omnes ut salutandi, ita gaudendi enumeret rationes?

GAUDE I. Quia hodiè mater Dei facta es.

Hoc

Hoc privilegium consortium non habet nominis, neque dignitatis S. Th. i. part. q. 25. artic. 6. ad 4. *Beata Virgo, ex hoc, quod est mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est DEVS: ut nihil ex hac parte possit melius fieri ea, sicut non potest aliquid melius fieri DEO.*

GAUDE 2. Quia Mater facta, Virgo permansisti. Tanti hoc erat, ut ipsa quoque denunciata obstupescens conceptionem, interrogaret. *Quomodo fiet istud? Qualis Pater in aternitate, talis Mater in tempore,* inquit Augustinus in Nomine Mariano. Pater sine Matre, Mater sine Patre: Pater Virgo, Virgo Mater. *Immo Pater, prima Virgo,* ut sancti Patres Græci loquuntur, & Mater Virgo prima in terris: cum illa prima voverit virginitatem, non exemplo humano, sed magisterio Spiritus Sancti edocta. Hinc Sponsus Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica inter filias Adæ.* Nam sicut lilium ex eadem terra cum spinis oritur, nec tamen spinarum vitium trahit: ita B. Virgo filium verè concipit & parit: nec tamen corruptionis & partus vitia sentit. Sicut lilium à contrariis magis commendatur: ita beatæ Virginis maternitatem cum virginitate conjunctam, matres dissimiles, magis commendant. Sicut lilii pulchritudo spinis præcellit: ita D. Virginis maternitas aliis comparata, longè illas odore sanctitatis, colore castitatis, decore integritatis superat.

GAUDE 3. Quia mater Dei facta omnium
crea-

creaturarum Domina es effecta, & ut talis ab Angelicis choris hodie consalutata, ad Hæb. 6. *Et cum introducit primogenitum in orbem terra, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus.* Factum est omninò, ut hodiè Verbum caro, Deus homo; in utero virginis, à cœlestibus spiritibus adoraretur. An etiam ipsa beatissima Virgo? *Quis Deum non honoret in Virgine? Qui Virginem Dei voluit esse genitricem, reparatricem sæculi, lucem mundi.* Ildefon. in Nativ. B. V. Si scabellum pedum Dei adorandum, quid thalamus & sacratissimum tabernaculum? Honor matris, gloria Filii. Quæ admiratio inde credenda Angelos incessisse? cum illum in utero matris humilem adorarent: cujus contemptor Apostata, è cœli alto, in inferos detrusus? quæ deinde, post admirationem, veneratio & tanti nati, & tantæ manis? Verè non minora in exigua Virginis cella, quam olim in cœlo dum primum incarnatio revelaretur, exacta misteria: sed nec minor Angelorum læticia, neque inferior cultus. Gaude igitur MARIA Virgo, de tanta tui Filii & tua dignitate, & duorum gaudiorum merito, nostros mœrores leva. *Nunquid enim, quia ita Deificata, nostræ humilitatis oblita es? Nequaquam Domino. Non convenit tantæ misericordie, tantam miseriam oblivisci, quia, etsi subtrahit gloria, revocat natura: neq; ita es impassibilis, ut sis impassibilis.* Petr. Dami. serm. de Nat. beatissimæ Virginis.